

utpote exiguò humiliq̄ue vallò muniti, & levis armaturæ militibus defenſi: Quâ etiam de cauſâ in illos arma ferè non moviſſemus, & ut oppugnatione indignos neglexiſſemus. Nam, cui adedò abjectus eſt animus, & læva mens, ut frivolorum hominum figmentis, non tantùm omni fanâ ratione deſtitutis, ſed præterea illam evertentibus, & quidem in rebus æternam ſalutem concernentibus, cæcò impetu aſſenſum præbere, atque acquieſcere poſſit, nullo faceſſere negotium ingenuo atque ſincero almæ Veritatis amatori debere, ſemper judicavimus. Attamen, ne Exercitatio noſtra aliquâ in parte manca foret, ac defectiva, illorum refutationi hoc caput impendere conſultum diximus. Statuunt igitur, ut ſuprà etiam innuimus, jus poteſtatemq̄ue Scripturæ ſenſum inveſtigandi, atque explicandi eſſe penes Eccleſiam, Patres, Concilia, Pontificemq̄ue Romanum: eoſq̄ue certâ infallibiliq̄ue Auctoritate pollere clamitant, quâ & S. Literas interpretari, & de aliorum interpretationibus judicare poſſint: adedò ut ipſorum explicationibus, aut ſententiis de aliorum explicationibus latis nemini refragari, nemini contradicere ſit licitum, atque permiſſum. Huic Tyrannidi ſe omnes, quibus Chriſtiana libertas adedò cordi fuit, ut hoc conſcientiis intolerabile excuſſerint jugum, ſatis animoſè, atque alacriter oppoſuère, ac illius propugnatores in profundas anguſtias redegère. Nam quotieſcunq̄e hujus Sententiæ deſtructores, jus iſtud interpretationis Eccleſiæ minimè competere, docuerunt, excipiunt aſtructores, ſe per Eccleſiam, Patres intelligere Eccleſiæ Doctores. At verò cùm deinceps etiam ab illis hujus effugii difficultates atque abſurditates proponuntur, regerunt hi omnes illas facilè ac certiffimè à Conciliis, præcipuè Generalibus, tolli. Quod porrò ab illis quando falſum quoque eſſe demonſtratur: proferunt tandem hi ultimum refugium, Pontificem Romanum, à quò confirmata Concilia veros infallibilesq̄ue S. Scripturæ interpretes eſſe ſtatuunt: quin etiam illi ſoli omnes interpretis veri atque indubitati competere conditiones, tanquam extra omnis erroris periculum evecto; adedò ut ipſe Bellarminus aſſerere non erubeſcat: *Si totum Concilium ſtaret ab unâ parte, Pontifex ſolus ab alterâ: Pontifici potiùs eſſe credendum, quàm toti Concilio.* Ita ut illud illuſtre ac ſplendidum Eccleſiæ nomen, quod prætendunt, quòque Patres, Concilia, ac Pontificem ipſum comprehendunt, in hunc ſolum tandem terminetur ac reſolvatur. Quæ omnia nos cùm ex ſe, quàm infirmò inſtabiliq̄ue fundamentò nitantur, ſatis oſtendant, atque ab Adverſariis etiam fuſè pertractata ſint, prætereuntes, unò tantùm alteròve inexpugnabili argumenrò, Sententiam hanc erroneam eſſe, oſtemus atque demonſtrabimus.

2. Primum petitur ex numerò verorum S. Literarum Interpretum, quos tres noſtrò calculò tantùm ponimus, nempe vel ipſos Novi Veteriſq̄ue